



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Moribus, Amore,  
Servitio Æternæ Sapientiæ

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066375**

Cap. X. Æterna Sapientia quid iterum sit & qualis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45408**

Suso) perinde, ut solet infanti ad Matris, ipsius  
suis ulnis complectentis, ubera pendenti, atque  
ejus gremio delitescenti &c.

O anima mea nunquam sinum & gremium Ma-  
tricius hujus suavissimæ deseras, nunquam Mammi-  
lam istam Patris æterni negliges.

## C A P U T X.

*Æterna Sapientia quid iterum sit & qualis.*

30.

**B**Eato Henrico Susoni Æternæ Sapientie amo-  
re magno, & videndæ desiderio ingenti fla-  
granti, atque Sponsalia ejus nuptiasque ambi-  
enti, talem sese ipsa Sapientia æterna videndam se-  
mel tantum in vitâ, hâc formâ quæ sequitur ex-  
hibuit, (*Longè supra ipsum ferebatur in Columna  
nubis, residens in throno eburneo, micans instar Lu-  
ciferi, & tanquam Sol in Virtute sua. Corona ejus  
erat eternitas, Amictus fecilitas. Sermo suavitas,  
Complexus omnis boni satietas; prope erat & longè  
aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, fa-  
miliarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat.  
Excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profun-  
dior: attingebat à fine usque ad finem fortiter, &  
disponebat omnia suaviter.*) Qui potest capere ca-  
piat. Felix ille cui tantum sese Majestas illa æter-  
na ostentare dignata est. Nostrum quis ad hæc  
audienda, nedum ambienda idoneus?

31.

Quis capiet qualis Sponsa sit Sapientia æter-  
na? Est pulchra, sine colore. Est dives, cum  
sit nudissima. Est mira, & tamen summè sim-  
plex. Est verax, sed occulta. Est incompre-  
hensibilis omnia comprehendens, & ubique ta-  
men suo modo comprehensa, quantum scilicet  
com-

comprehendi, & communicare se voluit. Est latens & tamen apparens, imò omnibus in viis, & in capitibus platearum ultrò occurrens. Illa docet omnia, ducit omnia, regit omnia, portat omnia, format & firmat omnia. Est omnium pondus & valor. Est centrum omnium & circumferentia. Est finis, & origo, & regula, & forma seu decor, atque species omnium.

O quis mihi det expansum habere in immensum eordis mei sinum, & apprehendam, & amplectar te, Aeterna Sapientia, fruarque beatissimis, purissimis aspectibus & amplexibus tuis in omni loco, in omni statu, in omni conditione, in omni momento, vite, mortis, tristitia, gaudii, solatii & Crucis in aeternum & ultra?

# CAPUT XI.

*Aeterna Sapientia Sanctorum ad omnia materies.*

32.

**O**Mnibus quidem Sapientia sese communicat liberaliter, ita ut non sit qui se abscondat à calore ejus, attamen Sanctis omnibus communicat se libentiùs, frequentius, liberalius, nec alia illi causa, nisi quia Sancti sunt, & quidem Sancti ejus, quos scilicet illa sibi secundum gustum suum Sanctos facit: neque enim quisquam sine Sapientiâ sanctus est: non est quisquam nisi per Sapientiâ sanctus; namque Sapientia sanctitas est: sicut omne peccatum & malitia errori atque stultitiæ imputatur: omnis enim peccans ignorans, qui ergo sanctus, idem sapiens est, tantumque sanctus est quantum sapit. Nam quid est sanctitas nisi affectio sancta, tecta, ordinata,

B § pura,